



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. V. De interpretatione privilegii exemptionis à decimis solvendis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

stante *c. Nuper*. immunes sunt religiosi vi capituli ex parte: à solvendis decimis ex novalibus, suis laboribus, aut sumptibus post Lateranense etiam excultis, ita constitutioni illi in *sis. capit. Nuper factæ*, non derogatur per concessa postmodum religiosi privilegia, nisi per clausulam specialem, derogantem omni contrariæ constitutioni, sub expressis verbis, in Concilio etiam generali facta, ob defectum scilicet intentionis in concedente privilegium, prout passim docetur de constitutionibus in Generali aliquo Concilio factis: & hinc si hodie concedatur religioso ordini privilegium immunitatis à solvendis decimis, absque speciali derogatione *c. Nuper*. extendit quidem se tale privilegium, ut de prædiis non teneantur solvere decimas hi religiosi, si, antequam ad illos talia prædia devenerunt, nullæ ex illis solutæ fuerunt decimæ, non tamen extendit se ad prædia, ex quibus decimæ solutæ fuerunt, antequam ad religiosos prædia talia devenerunt: si verò in concessione immunitatis hujus expressè derogeretur *c. Nuper*, vel omni contrariæ constitutioni, in Concilio Generali etiam factæ, immunes erunt religiosi tales à dandis decimis, etiam si prius, quam ad illos talia prædia devenerunt, decimæ ex illis solutæ fuerunt.

## §. V.

*De interpretatione privilegij exemptionis à decimis solvendis.*

Primo privilegium, quo à Sede Apostolica aliqui in genere eximuntur à solvendis decimis, intelligi non debet de prædiis conductitiis, prout sumitur ex

*c. Dilecti* 8. h. 1. quia privilegium Principis, quatenus cedit in alterius præjudicium, strictè interpretari oportet, ne grave damnum inferatur tertio, et graviter nocere non intendit, qui privilegium concedit, Pontifex.

Non extendit se Privilegium hoc immunitatis, ad agros v. g. & fundos, quos alii excolendos in Emphyteusio v. g. aliter propriè elocant, quod etiam decimæ solvi debeant à colonis v. g. prout ex *c. Licet* 11. h. 1. & ex *Clementis eodem* tum ob rationem paulo antedictam, tum quòd verba privilegij pleneque tantum eximant à decimis solvendis ex prædijs, quæ propriis laboribus, aut sumptibus excolunt, quorum natura sit in casu hoc: si tamen privilegium esset reale, & diceret, *eximi prædictorum talium ab onere solvendarum decimarum*, tum in tali casu etiam elocata ab his religiosi prædia gauderent concessâ immunitate, cum prædia etiam elocata sub dominio talium religiosorum manerent.

Tertio privilegium talis exemptionis, quamvis ex parte eorum, quibus dicitur tale privilegium, favorabile esse potest, quatenus scilicet favet religioni absolute tamen odiosum potest esse, & consequenter strictè interpretandum, tum quia juri communi derogat, tum quia cedit in præjudicium tertij, Ecclesiarum scilicet Parochialium, parochiarum &c. & hinc id ita intelligendum est, ut ultra verborum propriam, & usitam significationem, extendi non debeat, etiam ob majoritatem rationis, & si nulla exceptio aut limitatio apponitur, omnia quidem comprehendat, si usitata signifi-

Ratio exigit, & nullæ conjecturæ de  
strictiore præsumendâ privilegium con-  
cedentis mente, aut contradiccionis, seu  
absurdi devitandi necessitas, &c. urgeat,  
uti colligitur ex *c. Ad audientiam 12.*  
*h. t.*

## §. VI.

Quibus modis privilegium non  
solvendi decimas amittatur?

Tribus potissimum modis hoc privi-  
legium amitti censetur,

Primo, si privilegium tale progressu  
temporis in grave præjudicium Ecclesiæ  
Parochialis cedat, vel eorum, ad quos  
aliâs tales decimæ pertinerent, ita ut  
scandalum, & querelæ justæ inde orian-  
tur; in tali enim casu cessat, aut revocari  
debet tale privilegium, uti sumitur ex  
*c. Suggestum 9. h. t.* cum non sit intentio  
concedentis tale privilegium immunitatis  
à solvendis decimis, in grave præjudicium  
alterius Ecclesiæ illud concedere.

Secundò amittitur hoc privilegium  
immunitatis per non usum, sive usum  
contrarium quadraginta annis de jure  
novo continuatum, si scilicet per tantum  
temporis spatium decimæ à privilegiatis  
solutæ sint, intra hoc enim tempus præ-  
scribi potest obligatio etiam contra Ec-  
clesias.

Tertiò amittitur hoc privilegium per  
transactionem, seu compositionem inter  
partes post obtentum privilegium fa-  
ctam, uti colligitur ex *cap. 8. § 9. h. t.*  
(cum per talem conventionem fieri vi-  
deatur privilegii renunciatio) & per alie-  
nationem prædiorum, quæ ratione pri-  
vilegii religiosi v. g. concessi exempta  
erant, ad onere decimarum, cum per

talem alienationem jam non sub privile-  
giatis, quibus principaliter immunitas à  
solvendis decimis ex hoc prædio suo con-  
cessa est, maneat prædium tale, sed  
transeat ad dominum non privilegia-  
tum.

## S E C T I O IV.

De personis & Ecclesiis,  
quibus pendenda sunt decima,  
& tempore ac loco, quo sunt  
solvenda.

## §. I.

Quibus personis & Ecclesiis deci-  
mæ sunt solvenda.

DE jure communi Canonico Paro-  
chis, sive Rectoribus Ecclesiarum  
Parochialium decimæ ex fructibus præ-  
diorum, quæ intra fines cujuscunque  
sita sunt, integræ solvendæ sunt, ut con-  
stat ex *c. Cum contingat 29. & ex c. Cum  
in tua 30. h. t.* ita ut fundatam in jure in-  
tentionem pro se habeat Parochus, in  
ordine ad decimas, contra quemcunque  
possessorem juris decimandi, cui jus im-  
munitatis probandæ incumbit, cum ex  
primæva decimarum institutione jus de-  
cimandi annexum sit curæ animarum.  
Negari tamen non potest, quin aliis  
etiam sæpe Clericis, Præpositis v. g. De-  
canis, Canonicis, vel aliis beneficiatis,  
secundùm portionem, quæ eorum digni-  
tatis, beneficiis, &c. applicatæ sunt, jus  
decimandi competat (uti colligitur etiam  
ex *c. Ex parte 21. h. t.*) postquam aucto-  
ritate Ecclesiæ redditus cujuscunque  
Parochiæ in plura beneficia sunt divisi;  
cum